



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 38. De bonis traditis in villa Snevidi in pago Logne.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno 826 usque 853 imperante Hludouico et

manfos II cum omnibus adiacentibus eius testibus hoster albmarus ragenbaldus dudo herradus.

§. 36.

Tradidit Oto quicquid habuit in pago *hasugo* (E) ea tamen ratione ut quam diu uixerit ipse possideat quod si filios habuerit irrita erit traditio sin autem firma permaneat testibus *bernhardus comes* (F) tecto unno adalheri marchodo bello benni delo teodhardus herbert ay magnus uuicger tudo ricbold thancal teoduual tancuard mathlec aio ado ricuual abbo hauuald.

§. 37.

(G) irminuuardus et adaluuardus tradiderunt mansum unum in *stotinghus* testibus todi mainhardus addic mainuuardus.

§. 38.

Tradidit ben pro fratre suo gerlero in *sneuidi* (H) partem ipsius testibus renoldus folchridus rodhardus fredericus.

§. 39.

Schirnau in eadem regione villa desolata est. *Stemmeren* olim fuit in praefectura *Weserling*, et dudum excisa est. *Steinuorde* inuenitur ad flumen dictum *die Obre*. In *Salzmunde* quondam *Magdeburgenses* archiepiscopi bona possidebant. Indicatur fortassis una ex his, vel altera.

Koskörtorp uero esse uidetur vel *Karstorp* villa desolata in praefectura *Hötensleben*, vel *Kesdorf* vicus non procul ab oppido *Vorsfelde* situs, vel *Keyendorf*, villa desolata, olim intra veterem marchiam posita.

Mapantorp uidetur esse *Mackendorf*, cuius ecclesia filia est ecclesiae in *Saalsdorf* intra ephortiam *Königsutterensum* et in praefectura *Bardorf* non procul ab oppido *Ouesfelde*; vel *Meizendorf* in praefectura *Wolmirsted* intra ducatum *Magdeburgicum*; vel *Metzdorf* intra veterem Marchiam.

Sitanfeld an est *Stelfeld* in ducatu *Magdeburgico* non procul a *Wolfsburg*? *Huius* mentionem iniecit *S. Waltherus* in *Singul. Magdeb.* CVII. p. 70.

Denique uidetur *Richaldergebule* esse *Rörgebuttel* intra praefecturam *Gifhorn*. *Dalhem* est *Saltzdalem* prope *Wolferbuttelam*, ubi duae *Pansal*, id est, caesae salinae, vulgo *Saltzkoten* dictae, in quibus sal excoquitur, indicantur. Haec adduximus, ut alii in situm harum villarum studiosius inquireant.

De pago *Hasugo*. (E) De pago *Hasugo* uide infra §. 139. Docemus ibi, hunc pagum fuisse eundem, quem alii dicunt *Hessigau*, *Hassigau* aut *Hofgau*, *Salam* inter et *Wipperam* atque *Unstrut* fluuios diffusum.

De comita *Bernhardo*. (F) Nihil impedit, quo minus per hunc *Bernbardum*, comitem, designatum putemus filium *Unwani* et *Gislae*, nepotemque et *Albionis* principis, et *Hessi* seu *Esiconis* ducis. Cum enim illorum bona fuerint sita in pagis *Hasugo* et *Suenon*, idcirco hic *Bernhardus* inter testes reperitur. Sane nobis tantum est iuris, et fortasse maius, hoc affirmandi, quantum aliis illud in dubium reuocandi.

De villa *Stotinghus*. (G) De villa *Stotinghus*, quam *Saracho* refert ad pagum *Auga*, uide infra §. 259. Villa desolata indicatur, olim intra diocesin *Corbeiensem* obuia.

De villa *Sneuidi*. (H) Villam *Sneuide* in pago extitisse *Logne*, docuit nos *Saracho* abbas in praestantissimo suo *Registro Bonorum et Prouentuum Abbatiae Corbeiensis*. Eadem ergo villa denotatur, quae supra §. 26. appellabatur *Sneutibi*, quamque idem *Saracho* ad eundem refert pagum *Logne*. Haec villa nulla alia esse potest, nisi vicus *Schneen*, siue maior siue minor, sub praefectura *Friedland* in principatu *Gottingensi*, Principatus *Calenbergici* parte.